TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

HEPATIS STRUCTURA MORBISQUE;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MARCUS WEATHERBY DALY,

Hibernus.

Hæret lateri lethalis arundo.

VIRG. Æneid.

Ad Calend. Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

Excudebat Jacobus Neill.

MDCCCXIX.

THOMÆ MILLS, M. D.

ARTEM APOLLINAREM,

APUD EBLANAM,

FELICITER EXERCENTI;

HOC OPUSCULUM,

OB

AMICITIAM

IN SE, SUOSQUE, ANIMI GRATISSIMI

PERTENUE QUAMVIS TESTIMONIUM,

CONSECRAT

AUCTOR.

AMICO MEO OPTIMO,

JACOBO ADAMS,

ARMIGERO,

APUD ATHBOY IN COMITATU MEATH,

MEDICINAM FACIENTI,

SUMMA VIRTUTUM REVERENTIA,

SUMMA OFFICIORUM ERGA ME RECORDATIONE,

HOC

QUALECUNQUE SIT,

OPUSCULUM

SACRAVI.

FRATRI CARISSIMO,

JOHANNI KER DALY,

ARMIGERO,

ART. BAC. TR. COLL. DUB.

APUD GRANARD, COMITATU LONGFORD;

HASCE CALAMI JUVENILIS PRIMITIAS,

ARTEM QUAM IPSE COLUIT SPECTANTES,

MAGNI AMORIS FRATERNI

PIGNUS PEREXIGUUM

OFFERT,

MARCUS WEATHERBY DALY.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

HEPATIS

STRUCTURA MORBISQUE.

Quod Hepar nobili cuidam usui in corpore inserviret, etiam remotissima antiquitas suspicabatur. Democritus, Physiologorum fere primus, hoc viscus tanto cum ardore scrutatus est, ut insanire civibus suis videretur. Hippocratis sententia erat, Hepar cordi sanguinem suppeditare, etiamque in chylum convertere, sedem demum concupiscentiæ ipsum existere. Romani quoque, miseræ utique superstitioni dediti, jecur magna cum cura considerare solebant. Hinc præter re-

ligionem, insigne huic cum arcibus vitæ commercium esse crediderunt; et Doctrinæ HIPPOCRATICÆ cui omnes fere innitebantur, virtutes plurimas medicinales ipsi adjecerunt. Hinc jecur vulpinum, jecur columbinum, anserinum, bovinum, testudineum, ut remedia perpetuo apud auctores occurrunt. Donec HARVEIUS, immortalis ille, sanguinem per venas et arterias rivo perpetuo circulari docuisset; primum in corpore munus apud medicos, hepar obtinebat: sed præclarum istud inventum ex dignitate et æstimatione penitus evertit. Nunc dierum, bilem, liquorem sanæ concoctioni prorsus necessarium, secernere creditur: licet MAJENDIUS, præclaro experimento, Hippocraticam functionem nimirum præparandi sanguinem restituere conatus sit. Verum dies docebit: interim nos structura breviter descripta, munus quo bilem gignit, morbosque contemplari destinavimus. Jecur in regione abdominis hypochondriaca dextra situm est, atque sic, maxima ex parte, sub costis latet, nec sentiri extrinsecus potest, nisi sub morbo quodam aut molem ampliante, aut e loco in interiorem partem protrudente. Hinc sub inflammatione, sarco-

mate, hydatidene, hepar sæpe in tantum ampliatur ut extrinsecus tumor durus, parum definitus, modo sub margine costarum anteriorum, totum fere abdomen occupans, modo non nisi prope spinam infra costas natantes, manu percipiendus est, qui quidem præsens indicium hepatitidis aut hydatidis, aut demum sarcomatis, notabile habetur. Pars hepatis superior diaphragmati adhærescit per ligamentum coronarium; reflectionem scilicet peritonæi quæ pondus hepatis ex parte suspendit, adeoque inflammationis sæpissime fit sedes. Ad sinistram partem ventriculo leniter insidet; et ampliatum, adeousque eundem complectitur, ut perpetuus, qui in morbis videtur consensus, hinc facile explicationem admittit, ex compressione ventriculi; nec ulla sympathiæ obscurioris conjectura adhibita. Sæpe lienem usque urgenti morbo, pervenit; sed signa morbosa inde nascentia auctores omiserunt.

Jecinoris parti inferiori adhærescit fellis, vesicula quæ cum ductibus sæpe morbo vexatur. In parte quoque inferiore et posteriore ren dexter existit, atque hic sæpe mala hepatis, præsertim tumefacti, participat, nec raro e loco deorsum tru-

di invenitur, cum variis malorum nephriticorum signis. Præter coronarium, quatuor aliis ex peritonæo ligamentis suspenditur hepar, lato, scilicet dextro, sinistro, rotundo, hoc quidem vena, dum puer, matre conditus fuisset. Ligamenta sæpe inflammata, positum corporis in latus sanum fere impossibilem reddere dicuntur. Lobi quatuor, nisi caudatum pro quinto accipere velis. Dexter sinisterque magna media fossa, qua vena umbilicalis currere solebat, a se invicem dividuntur. Spigelius inter hanc fossam et sulcum ductus venosi intercluditur; et anonymus vel quadratus, qui fossam mediam et sinum felleum, ab utroque latere, sulcum transversum a tergo habet, numerum absolvent.

Tunicam unicam ex peritonæo jecinori datam videmus: quæ glandem ipsam undique nisi qua septo transverso concrevit, circumvolvit. Huic pariter ac ligamentis, morbi varii incumbere solent. Structura glandis ipsius conglomerata ex multis nimirum acinulis composita: atque inde, verisimile est, cur morbi adeo lente in hoc viscere sint, explicare possumus. Porosa undique redditur fabrica eadem vasis innumeris, quæ ve-

na portarum, vena cavæ hepaticæ, arteria hepatica et ductus biliferi, per totum jecur, immittunt. SAUNDERS auctores vetustiores secutus, singulis his propaginibus proprios esse morbos judicat. Sic hepatitidem acutam in ramis arteriæ hepaticæ, chronicam autem in venæ portarum sedem habere. Sed hæc hactenus. Munus jecori hodie tributum hujusmodi est: Sanguis ab omnibus organis quæ ad cibum ullo modo concoquendum pertinent, redux in venam portarum per tres grandes canales devehitur. Exinde per universum hepar, præsertim acinos illos quos ubique esse supra posuimus, exagitur, acinis iisdem per vim secernendi quam habent in bilem mutantibus. Ab iisdem canaliculi exigui pori biliarii dicti, ad ductus majores bilem recens mutatam transmittunt, atque hi tandem ad ductum hepaticum, vas scilicet satis grande, cum ductu cystico et choledocho communi, cito conjunctum. Ductus cysticus duplice gaudet usu: Nam aut bilem hepatis, prout respostulet ad fellis cistulam vehit, aut bilem hujus vice versa deorsum ad ductum choledochum communem reducit, ut ad usum

bilis proprium, actionem scilicet in chymum, et duodenum, rite ordineque conferat.

Hæc de jecinoris munere scripsimus nequaquam ignari quosdam esse qui bilis originem ad arteriam hepaticam referri malint. Sed cum hujus rei, etiam penitissimam cognitionem, nihil fere omnino ad usum medicum conferre judicamus, omnibus talibus controversiis supersedendum esse decrevimus.

MORBI

Fabrica tam multiplex quam hepati esse diximus, plurima non pati vitia nequit. Idcirco inflammationem imprimis, et sequelas ejus schirrhum, hydatidem, sarcoma, abscessus, pustulas, ulcus, aut externum aut internum, hoc viscus afficere reperimus. In aliis exemplis fabrica illa composita morbi sola fit causa; atque hinc sæpe gravia mala ac diuturna subire solet. Nam sive bilis ductus hepatici in massam solidam concreverit, sive ductus cystici, vesiculæ fellis, aut ductus choledochi communis; descensus hujus

liquoris in duodenum partim aut omnino impeditur. Ex hac obstructione morbi varii, ut icterus, calculus biliosus, dyspepsia, obstipatio, nascuntur. De his ordine tractare animus est; eo tamen consilio ut affectus molestiores primo aggrediamur.

Hepatitis ea est affectio qua hepar inflammatum jam longa experientia cognovimus. Primis diebus, languor, lassitudo quædam, hominem invadunt, et per aliquot prius dies adhærent, quam febris fiat manifesta. In aliis tamen exemplis subitus et acutus, in regione dextra hypochondriaca dolor, sic ut ægre inhalare possit, aggreditur. Hic tandem mitigatus aut adhuc perseverans, varie ægrum afficit.

Alius sed raro similis dolor in summo humero dextro, aut etiam sub clavicula, vel etiam in brachio ejusdam lateris percipitur. Nec verum est quod vulgo dicitur hunc dolorem a priori extendi sentiri, quum revera sæpe omnino diversus sit, licet aliis in exemplis consentire appareant. Uterque premendo aggravatur. Tussis adest sicca et brevis, nonnunquam vero humida et multa.

Dolor, saltem molestia quædam semper percipitur si æger in latus sanum, hoc est sinistrum, jacuerit, quod signum morbi certissimum haberi oportet quando adest; sed sæpenumero prorsus abest; aut etiam in dextrum latus æger difficile decumbit, hujus rei causa dicitur esse conditio ligamentorum quæ jecur suspendunt male sana; inflammata scilicet tenera, atque sic pondere hepatis prementi dolentissima. Hepati etiam in statu sanissimo, cum ventriculo consensus manifestissimus est; sed quando inflammatio præterea additur, tunc consortium istud, quod iis intercedit, multis in modis se ostendit. Signa quidem adeo varia sunt, ut ægre ad unum caput aliquod referri possint. Vomitus sæpe biliosus, tam ab errore victus aliquo, quam ab cibo ingesto, sæpe excitatur: nec raro a causis levissimis aut nullis manifestis. Nausea matutina, vel interdiu subinde excitata. Ventriculus porro adeo irritabilis ut fere nihil ab eo impune contineatur, atque alimenti igitur quantum sit ad corpus nutriendum haud retinetur.

Pulsus celer ut in pyrexiis se habere solet, sæpe nonagesies centiesve in horæ sexagesima parte

micat. Cutis arida, calida, atque sæpe post dies aliquot flavida, præsertim in circulo oculis circumscribente. Oculi et ipsi flavescunt, præsertim si calculi morbum effecerint aut comitentur.

Alvus fere adstricta est, cum fœcibus albidis duriusculis, argillam referentibus; sæpe tamen hac materia fusciores, a bile nempe profusius admixta reperiuntur. Urina coloris crocei, subinde tamen rubidi, parca, cum horrore quodam reddita est.

Morbi varietas illa quæ chronica appellata, fuit plus minus horum malorum semper præ se fert: haud raro tamen adeo pauca, ut æger fere nihil molestiæ, debilitate quadam levicula excepta, conqueritur. Nihilominus signa quædam plerumque adsunt; alvus adstrictior, dolor levis quidem et obtusus, sed sæpius revisens quam ut res fortuita facile credatur; cutis plumbeo colore tincta, urina rubrum quiddam mittens quod a chemia exploratum *urea* omnino carere reperitur*.

* Videas Experimenta Rose et Doctoris Henry, Phil. Annal. v. et vi.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Temperamenta vulgo meclancholica aut biliosa, ab omni ævo ad jecinoris inflammationem proclivia esse notata sunt. Malum quodammodo hæreditarium, etiam diversis admodum temperamentis sæpe videas: saltem familias certas præ aliis infensius vexare; an vero magis ex moribus, quam corporibus similibus, incertum est. Res etiam quæ corporis mobilitatem augere solent, ut luxuria omnigena, calor animique affectus vehementiores, hominem hepatitide proclivem reddunt. Neque desunt morbi qui eandem proclivitatem aut dent aut augeant: Veluti dyspepsia, obstipatio; tabes mesenterica, dysenteria, atque si nonnullis credas, capitis læsiones, licet hæ sæpe inter causas potius excitantes sedem mereantur.

CAUSÆ EXCITANTES.

HARUM omnium validissima videtur regionis calidæ violentia in corpus ei insuetum. Hinc ex iis post longam in talibus regionibus commorationem, domum redeuntibus, pauci hepate sano gaudent, ex quo error quidam increbuit homines dysenteria, (alio scilicet regionum harumce malo familiari) affectos raro non hepatitide quoque plecti. Alia et in nostra regione causa multo frequentior, sub nomine generali, stimulus ventriculi nimius dicetur, re tamen vera ex liquoribus nimis valentibus, nimis ingurgitatis, longe longeque sæpius inductus effectus. Haud equidem inficimur cibos nimis delicatos nimioque stimulantes, præsertim si dyspepsiam concitare soleant, jecinoris inflammationem etiam per se inducere posse: atqui multo sæpius his gulosi impune per totam indulgent vitam modo liquores supra indicatos non adjiceant. Ebriosi quasi exitus naturalis hepatitis habeatur, sed morbus nequaquam ebriosis cohibetur; nam homines, ut

sibi videntur, sobrii admodum, his liquoribus modice, nec nisi ex intervallo indulgentes, aut inter pastum, ut quod sumpserint melius concoquatur, nihilominus ex eadem causa sæpe pereunt. Vita sedentaria, cum dyspepsia et alvo tardiore utpote mali neglecta, causa excitans sæpissime fieri videtur. Febris intermittens aut remittens, hunc morbum crebro inducere solet, sic ut in regionibus quibus familiares sunt, hepatites inter sequelas earum frequentissimas habetur. Semper chronicus est morbus ex his febribus; et in hac forma hydropem sæpe inducet.

Proxima. Hæc fere, ut diximus, inflammatio est. Modo tunicarum hepatis externarum, modo glandulæ ipsius in varias sibique proprias sequelas terminata, frequentissime utramque simul structuram adorta. Medici olim et nuper morbi varietatem ex parte in singulis affecta explicare tentaverunt, sed ambiguum admodum est, nec ullo fundamento nitens, quod hac de re scripserint.

DIAGNOSIS.

Hunc morbum ab aliis corporis affectibus dignoscere haud ita facile, ut primo statim intuitu appareret. In tempore igitur primo cum pneumonia, rheumatismo, gastritide, aut enteritide confundatur; in provectiore tempore aut morbo, cum phthisi pulmonali, cum ictero, cum dyspepsia, cum rheumatismo, quoque perplexa fuit.

A pneumonia sedes doloris quodammodo discriminat, nam in hac dolor raro infra costam sextam descendit; in hepatitide vero vix, aut ne vix, supra eandem assurget, pneumonia quoque humeri dextri dolore caret, nec faciliorem in latus affectum quam sanum decubitum præstat. Tussis diversa, vomitus nullus, respiratio difficilior plena quidem vix possibilis.

Gastritis sedem haud absimilem agnoscit, si quando jecinoris lobus sinister inflammatione correptus fuerit. Sed signa alia fere desunt, præter febrem et vomitum qui quidem longe longe-

que vehementior existit in gastritide sic ut quæcunque ingesta fuerint statim rejiciantur.

Rheumatismus in musculis vicinis, longe facilius etiam quam pneumonia dignoscitur, quoniam signa fere omnia quæ hepatitidem privatim designant prorsus rheumatismo deficiunt.

Hepatitis chronica a phthisi pulmonali differt in hoc; sputi nihil habet, dolorem raro in jecoris sede, nunquam ad humerum summum dextrum, decubitum in latus affectum difficilem. Alia signa tamen communia sunt, atque nonnullis in exemplis, diagnosis eo fit difficilior quo morbi conjunguntur.

Ab ictero, ut jamjam statuendum erit, difficillima est distinctio. Sæpe nullum signum quod hepatitidi tribui solet, abesse diceres; nihilominus calculus suo tempore decendet, ægrumque omnibus malis liberabit. Febris tamen plerumque nulla aut levicula: dolor, modo adsit, ex intervallo ingravescens, et procubitu ægri in manus et genua levatus cum in hepatitide dolor procumbendo aggravatur, corpore autem erecto lenitur. Nullum porro doloris augmentum ex pressione facta in ictero, neque ipsius hepatis molis.

Sudores quoque in ictero profusi fluere dicuntur. Dyspepsia affectum nostrum multis in modis simulat, nec nisi magna cura et diligentia adhibita distingui queat. Cutis tamen color plumbeus, fuscus; necnon oculi tunicæ albugineæ: difficultas decumbendi in latus sinistrum, dolor hepatis regione, premendo auctus noctu exacerbatus, glans ipsa major, indurata, hepatitidem chronicam satis evidenter produnt.

CURATIO.

Hepatitidis acutæ remedia ab iis quæ aliis inflammationibus internis adhibentur parum discrepant. Sanguinis missio tam generalis quam topica: exulcerantia, fotus, purgantia salina, victus refrigerans, hydrargyrum curationis seriem componunt. De his ordine breviter agamus.

Venæsectio in primo impetu optime adhibetur. Unciæ XVI ad XXIV mittantur, repetendæ si dolor non minuatur. Si arteriæ concitatæ duræ et tensæ maneant, sanguis crustam illam corii similem ostendit. Atque haec crusta speciem

bilis flavidam sæpe ostendat, quam aliqui sanguinem ultra mitti prohibere crediderunt. Res vero longe aliter se habet, neque certum est hanc in crusta speciem, e bile revera profluere.

Exulcerantia nunquam adhibenda sunt in specie acuta donec cordis arteriarumque vim fregerit ac mollierit. Venæsectio. Si quis hujus rei parum curiosus hæc admoverint sine eadem cautione habita, gravem irritationem et dolorem sæpe excitabit, præsertim si multum febris subsit. His animadversis, ulcera, aliquid ex alio novis, emplastris admotis, perpetuare optimum erit. Fomenta parti affectæ per pannos laneos aut flores anthemidis nobilis, aqua calida madefactos, utiliter adhibeas. Potus tepidus, glutinosus, morbum quoque mulcere reperitur.

Alvi purgatio in hepatitide liberior multum nocet, præsertim si diarrhœa aliqua ut haud raro fit prius subfuerit. Si tamen torpida maneat alvus tunc utique solicitanda; cui rei nihil melius respondet quam submurias hydrargyri; hic vi quadam propria torpentem alvum et jecur in ordinem cogere dicitur; quod si parum veritatis habet, eousque fide dignum est, ut omnes

usu docti utilissimum medicamentum confiteantur. Morbo mitescente, aut in formam chronicam degenerante, aquæ salinæ aut sulphuratæ dejectiones leniter movere solitæ, utilissimæ habentur.

Victus refrigeratorius, huic non minus quam aliis inflammationibus proderit. Sic carnes vitandæ, potus meraciores, excitantia omnia vitanda.

Sub usu hydrargyri, utile erit canalem alimentarium potu glutinoso defendere. De tempore hepatitidis acutæ quo hydrargyrum optime adhibeatur Practici acerrime disputarunt.

Regionum calidarum incolæ, ab ipso morbi initio hoc medicamine utuntur successu nunquam ambiguo: apud cœlum vero temperatius, ut nostrum hoc tempus nimio maturum videtur. Hinc optime post febrem et irritationem sedatam adhibetur, quam curationem et Indicos ipsos medicos sequi nuper audivimus.

Forma hydrargyri quæ laudatur hoc in morbo, unguentum est, aut parti affectæ, aut alii cuivis commodiori, infricatum. Hanc aliis formis, saltem in regionibus calidis, præstare docuit GIRDLE-

STONIUS. Si hac uti nequeat æger, submurias, aut pilula hydrargyri, adhiberi debet qua copia res ipsas doceat.

Hepatitide chronica medicina intra limites augustiores concluditur: nam ut eventus minus certi, sic infinita, diversis temporibus, remedia laudata fuerunt; quibus nihil obstantibus paucæ nunc manent res, quibus ut auxiliis uti possimus. Hæc sunt hydrargyrum, aquæ salinæ, amara, cœli mutatio, balneum nitromuriaticum. De hydrargyro jam diximus; sed in hac specie utilior erit continuatio longa; ad sex nempe aut septem hebdomadas; adeo ut calor, habitus corporis bonus fereque pristinus redierit, antequam omittatur. A primo quoque initio incipiendum. Cum hydrargyro haud male alternantur amara medicamenta; cum et ventriculum roborant, indeque per consensum universa solida humana; et appetitum hepatitide fere semper languentem mirum in modum concitant.

Infusum gentianæ compositum, flores anthemidis nobilis, leontodon taraxacum, et similia formulas amarorum satis commodas exhibent.

Aquæ salinæ, ut Cheltenhamiæ, Harrowgatenses, et aliæ similes summas in hepatitide longiore laudes diu obtinuerunt. Quin et exempla haud desunt, quibus valetudo frustra per hydrargyrum quæsita, his aquis tandem, extra spem omnium restituta est. GREGORIUS rei practicæ apud Edinenses clarissimus Professor, de hepatitide agens, sæpe testatur sibi in ambiguo esse, an in morbis hepatis difficilioribus, his aquis potius quam hydrargyro insistendum sit.

Cœli mutatio: præsertim ex calido a frigidum, multum conferre dicitur: atque certi nullo in morbo liber et modicus puri aëris perflatus utilitatem insigniorem præstare solet. An vero ex regionibus frigidis ad calidiores transitus tutus aut commodus sit, vix ab auctoribus adeo inter se discrepantibus, hac de re intelligi potest. Balneum nitromuriaticum in Actis Medico Chirurgicis (tom. VIII.) ad cælum usque elatum fuit a Doctore HENRICO SCOTT, Bombayensi, et apud medicos vix minus quam apud populum pro monstro fuit fere biennium. Nuper tamen aliqui fucum olfacere cœperunt;

atque sine dubio ex hepatitide, homines haud aliter ac olim fecerunt, mori perserverant.

ICTERUS.

Spasmus quidam in ductibus fellis icterum efficere creditus est a nonnullis; et fieri potest ut talis existat causa; sed longe sæpius a calculis ex bile concreta in iisdem hærentibus originem ducit. Signa sunt, appetitus jactura, plenitudinis in ventriculo sensus, nausea, vomitus, languor, inertia, vigilantia, atque si obstructio etiam paucos continuaverit dies, insignis carnis extenuatio: cutis, oculorum, urinæ flavedo, dejectionum albedo; dolor, sæpe ante decoloratam faciem, in scrobiculo cordis; pulsu interim non mutato, percipitur. Variat tamen pro calculi sede, atque cum hepar et ductus ejus non nisi sensu perobtuso gaudeant, ut dolor intensissimus fiat dum intestini tunicam distendit calculus, verisimile est. Icterici haud raro diarrhœam perpetiuntur, aliquando alvum adstrictam, quæ ultima conditio facile removetur. Iisdem

sæpe horrores, per horam inque dies revertentes, aliis in morbis signum ingratum patiuntur, nullo tamen malo subsequente. Nonnunquam cibus omnis solidus ægrotanti amarus apparet; rarius idem de liquidis accidit. Lac fœminarum ictericarum nec colore nec sapore inficitur; semel passi iterum facile afficiuntur. Sensus plenitudinis in ventriculo cum dolore aut eo, aut locis vicinis, ad hunc morbum sæpe referendus est.

DIAGNOSIS.

Ab hepatitide acuta per absentiam febris et situm corporis faciliorem pronum (pag. 14.) distinguitur. A chronico malo vix aut ne vix quidem distingui potest; mali tamen longinquitas, dolor in summo humero nullus, difficultas in sinistrum decumbendi latus, tussis fere nulla, discrimina haud negligenda sunt.

CURATIO.

Hanc omnino ad morbi indicia dirigi oportet. Dolor aliquando sanguinis missione sæpius tamen opio et sedantibus mitigandus est. Vomitus a nonnuillis laudatus est, atqui cum ambiguum admodum sit remedium, melius omittitur. Non enim defuerunt exempla, quibus canalem biliferum distentum lacerando, morbum induxit. Lenes alvi dejectiones minime nocent: quinetiam in plurimis exemplis, præsertim puerorum, intra paucos dies morbum ex toto fugavit. Quod de solventibus scriptum, vix non absurdum est; nec magis audiendum quam quod de specificis tradiderunt vetustiores.

FINIS.